

tacumque dixeris, verba sunt : aliud est gustus. Verba laudis ejus audiunt et impii : non autem gustant quam jucundum est, nisi sancti. Proinde iste sentiens dulcedinem nominis Dei, et volens explicare, et volens ostendere, nec inveniens quibus : etenim sanctis non opus est ut ostendat, quia et ipsi gustant et norunt ; impii autem sentire non possunt quod gustare nolunt : quid ergo facit de jucunditate nominis Dei ? Tulit se continuo a turbis impiorum : « Et expectabo, inquit, nomen tuum, quia jucundum est, in conspectu sanctorum tuorum. » Jucundum est nomen tuum, sed non in conspectu impiorum : ego quam dulce sit scio, sed his qui gustarunt.

ENARRATIO

IN PSALMUM LII.

Sermo ad populum¹.

I. PSALMUM istum vobiscum tractandum quantum Dominus suggerit, suscipimus². Jubet frater, ut velimus, et orat, ut possimus. Si quid festinatione forte prætermisero, implebit in vobis qui et nobis dare dignatur quod dicere potuerimus. Titulus ejus est : « In finem pro Maëleth, intellectus ipsi David³. Pro Maëleth, » sicut in Hebræorum interpretationibus nominum invenimus, videtur dicere, Pro parturiente sive dolente. Quis autem in hoc sæculo parturiat et doleat, agnoscunt fideles, quia

¹ Sermo iste ad populum habitus est rogatu alicujus forsitan episcopi. — Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 515-516. — ³ Psal. LII, 1. —

inde sunt. Christus hic parturit, Christus hic dolet ; caput est sursum, membra deorsum. Neque enim non parturiens et dolens diceret : « Saule, Saule, quid me persequeris⁴ ? » Quo persequente parturiebat, eum conversum parturire fecit. Namque et ipse postea illuminatus est, et illis quæ persequebatur membris insertus, eadem charitate prægnans dicebat : « Filioli mei, quos iterum parturio, do- » nec Christus formetur in vobis⁵. » Pro membris igitur Christi, pro corpore ejus quod est Ecclesia³, pro uno ipso homine, id est, pro ipsa unitate cujus caput sursum est, Psalmus iste cantatur. Gemit autem, et parturit, et dolet iste homo. Quare, vel inter quos, nisi quia accepit et cognovit a capite suo, dicente : « Abundabit iniquitas, et » refrigescet charitas multorum⁴ ? » Si autem abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum, quis remanebit qui parturiat ? Sequitur : « Qui perseveraverit usque » in finem, hic salvus erit⁵. » Unde esset magnum perseverare, nisi inter molestias et tentationes et turbationes et scandala esset perseverandum ? Nemo enim jubetur bona tolerare. Sed pro isto quia dicitur, et quia pro isto cantatur, videamus quid sit. Pro isto increpantur hic homines, inter quos gemitur, inter quos doletur, et consolatio dolentis et parturientis in Psalmi fine depromitur et exprimitur. Qui sunt ergo inter quos parturimus et gemimus, si in corpore Christi sumus, si sub illo capite vivimus, si in membris ejus deputamur : qui sunt, audi.

II. « Dixit imprudens in corde suo ; Non est Deus⁶. » Tale genus est hominum, inter quos dolet et gemit corpus Christi. Si tale hoc hominum genus est, non multos parturimus ; quantum videtur occurrere cogitationibus nostris, perpauca sunt : et difficile est ut incurramus in homi-

¹ Act. IV, 4. — ² Gal. IV, 19. — ³ Coloss. I, 24. — ⁴ Matth. XXIV, 12. — ⁵ Ibid. 13. — ⁶ Psal. LI, 1.

nem qui dicat « In corde suo : Non est Deus¹ : » tamen sic pauci sunt, ut inter multos timendo hoc dicere, in corde suo dicant, quia ore dicere non audent. Non ergo multum est quod jubemur tolerare, vix invenitur : rarum hominum genus est qui dicant « In corde suo : Non est » Deus. » An vero alio intellectu discussum, invenitur esse in pluribus, quod in paucis et raris et pene in nullis esse putabamus? Prodeant in medium qui male vivunt, inspiciamus facta flagitiosorum, facinorosorum sceleratorumque hominum, quorum magna turba est; qui fovent quotidie peccata sua, qui factis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt : hæc tanta hominum multitudo est, ut inter eos positum corpus Christi, vix audeat reprehendere, quod non cogitur admittere, et pro magno sibi putet servari integritatem innocentiae, ne faciat quod culpam jam per consuetudinem, aut non audeat, aut si ausus fuerit, facilius erumpat reprehensio et reclamatio eorum qui male vivunt, quam vox libera eorum qui bene vivunt. Et isti tales sunt, ut dicant « In corde suo, Non est Deus : » Tales convinco. Unde convinco? facta sua Deo placere arbitrantur. Non ergo ait, Aliqui dicunt; sed : « Dixit imprudens in corde suo : Non est Deus. » Qui usque adeo credunt esse Deum, ut eidem Deo arbitrentur placere quod faciunt. Atqui si intelligas prudens, quia « Imprudens dixit in corde suo : Non est Deus, » si advertas, si intelligas, si discutias qui putat Deo placere facta mala, non eum putat Deum. Si enim Deus est, justus est; si justus est, displicet ei injustitia, displicet iniquitas. Tu autem cum putas ei placere iniquitatem, negas Deum, Si enim Deus est cui displicet iniquitas, tibi autem non videtur Deus cui displicet iniquitas, non est autem Deus nisi cui displicet iniquitas, cum dicis in corde tuo : Favet

¹ Psal. xxi, 1.

Deus iniquitatibus meis, nihil aliud dicis quam : « Non » est Deus. »

III. Referamus nos et ad illum intellectum, qui et de ipso Christo Domino nostro, de ipso capite nostro occurrat. Ipse enim cum in forma servi appareret in terra¹, dixerunt qui eum crucifixerunt : « Non est Deus. » Quia Filius Dei erat, utique Deus erat. « Sed illi qui corrupti sunt » et abominabiles facti sunt, quid dixerunt? Non est Deus : » occidamus eum, non est Deus. » Habes vocem ipsorum in libro Sapientiae² : sed primo illos vide corruptos, ut possint dicere « In corde suo : Non est Deus. » Præmisso enim versu : « Dixit imprudens in corde suo : Non est » Deus, » tanquam causæ quærerentur unde hoc possit dicere imprudens, subjecit : « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis³. » Audi illos corruptos. Dixerunt enim apud se non recte cogitantes : cœpit corruptio a mala fide⁴, inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates, gradus isti sunt. Quid enim apud se dixerunt cogitantes non recte? « Exiguum et cum » tædio est vita nostra⁵. » Ab hac mala fide sequitur illud quod et Apostolus dixit : Manducemus et bibamus, » cras enim moriemur⁶. » Ibi autem latius luxuria ipsa describitur : « Coronemus nos rosis, antequam marcescant, ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ⁷. » Post illam descriptam latius luxuriam, quid sequitur? « Occidamus pauperem justum⁸ : » hoc est ergo dicere : « Non » est Deus. » Lenia videbantur jamdudum loqui : « Coronemus nos rosis, antequam marcescant. » Quid delicatius, quid lenius? Sperares de hac lenitate cruces, gladios? Noli mirari, lenes sunt et radices spinarum; si quis eas contrectet, non pungitur : sed quo pungeris, inde nas-

¹ Philip. ii, 7. — ² Sap. ii, 20. — ³ Psal. lxxii, 2. — ⁴ Sap. ii, 1. — ⁵ Ibid. 2. — ⁶ I Cor. xv, 32. — ⁷ Sap. ii, 8. — ⁸ Ibid. 20.

« Corrupti ergo isti, et abominabiles facti sunt in » iniquitatibus suis. Dixit imprudens in corde suo: Non » est Deus. Si Filius Dei est, descendat de cruce¹. » Ecce aperte dicere: « Non est Deus. »

IV. Sed quomodo inter illos gemit corpus Christi? Gemuerunt inter illos Apostoli qui tunc fuerunt, et Discipuli Christi: ad nos isti quid pertinent? quomodo inter hos nos parturimus? Adhuc sunt qui dicunt: Christus non est Deus. Hoc dicunt pagani qui remanserunt; hoc ipsum dicunt ipsi Judæi, qui ad testimonium confusionis suæ ubique diffusi sunt; hoc dicunt et hæretici multi. Namque et Ariani dixerunt: « Non est Deus: » Eunomiani dixerunt: « Non est Deus. » Huc accedit, fratres, quia et illi de quibus paulo ante dixi, qui male vivunt, nihil aliud dicunt quam: Non est Deus. Cum enim dicimus eis Christum venturum iudicem ad iudicium, quod dicunt Scripturæ quæ non fallunt: illi autem magis aurem præbentes serpenti suggerenti: « Non morte morieris², » quod dixerat in paradiso, contra veritatem Dei constituentis et dicentis: « Morte morieris³; » ita faciunt mala, ut dicant sibi: Veniet Christus, et dabit indulgentiam omnibus. Ita ergo mendax est ille qui dixit, quia separabit iniquos ad sinistram, separabit justos ad dexteram: justis dicet: « Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi: » iniquis dicet: « Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus⁴. » Quomodo ergo omnibus dabit indulgentiam? Quomodo neminem damnabit? Ergo mentitur? Hoc est dicere: « Non est Deus. » Vide ergo ne forte tu mentiaris. Tu enim homo es, ille Deus: Deus enim verax: « Omnis autem homo mendax⁵. » Sed quid de istis, o corpus

¹ Matth. xxvii, 40. — ² Gen. iii, 4. — ³ Id. ii, 17. — ⁴ Matth. xxv, 34 et 41. — ⁵ Psal. cxv, 11.

Christi? Separa te interim corde et vita, nec imiteris, nec assuescas, nec annuas, nec approbes: magis autem et redargue. Quid enim attendis ad istos qui hæc dicunt? « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus » suis: non est qui faciat bonum. »

V. « Dominus de cælo prospexit super filios hominum, » ut videret si est intelligens aut requirens Deum¹. » Quid est hoc? « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt » isti omnes qui dicunt: Non est Deus? Et quid? hoc latebat Deum, tales esse factos? aut vero nobis eorum interior cogitatio aperiretur, nisi ab illo diceretur? Si ergo noverat, si sciebat, quid est hoc quod dictum est, quod « De cælo » prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum? » Quærentis enim verba sunt, non scientis: Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum. » Et tanquam inveniret quod quæsivit inspicendo, et de cælo prospiciendo, dicit sententiam: « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est » qui faciat bonum, non est usque ad unum². » Duæ quæstiones oriuntur aliquantum difficiles: Si enim respicit de cælo Deus, ut videat si est intelligens aut requirens Deum; subintrat cogitatio imprudenti, quia non omnia novit Deus. Hæc una quæstio est: quæ est altera? Si non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, quis est ille qui parturit inter malos? Illa ergo sic solvitur quæstio, quia plerumque ita loquitur Scriptura, ut quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur, ut, verbi gratia, cum misereris pauperis; quia dono Dei facis, Deus misereatur: cum cognoscis qui sis, quia illo allucente facis, si is es qui dicas: « Tu illuminabis lucernam meam, Domine Deus meus, illuminabis tenebras meas³; quod eo donante et fa-

¹ Psal. lii, 3. — ² Ibid. 4. — ³ Id. xvii, 29.

ciente cognoveris, ille cognoscit. Nam unde est: « Tentat » vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis illum¹? » Quid est: « Ut sciat? » Ut dono suo scire vos faciat. Sic ergo et hic: « Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum. » Adsit ipse, et donet nobis ut quod cor nostrum fecit concipere faciat et parere. Apostolus dicit: « Nos autem non » spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex » Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis². » Hoc Spiritu ergo quo cognoscimus quæ a Deo donatasunt nobis, discernimus inter nos et eos quibus hæc donata non sunt, et ex nobis illos cognoscimus. Quia si nos aliquod bonum habere non potuissse intelligimus, nisi illo donante et largiente a quo sunt omnia bona; simul videmus nihil tale posse habere eos quibus hæc Deus non donavit. Ista dignoscentia nobis ex Spiritu Dei est; et eo quo videmus, hoc, Deus videt; quia id Deus facit ut videamus. Hinc enim dictum est et illud: « Spiritus enim omnia scrutatur, etiam altitudinem Dei³: » non quia ille scrutatur qui novit omnia, sed quia tibi donatus est Spiritus, qui et te scrutari facit: et quod dono ipsius tu facis, ille facere dicitur; quia sine illo tu non faceres: ergo Deus facere dicitur, cum tu facis. De dono Spiritus filiorum, quibus datus est Spiritus Dei, respiciunt « Super filios hominum, ut videant si est intelligens aut requirens » Deum? » Sed quia id dono Dei et spiritu Dei faciunt, Deus hoc facere dicitur; velut prospicere et videre. Quare autem « de cœlo, » si hoc homines faciunt? Quia dicit Apostolus: « Nostra autem conversatio in cœlis est⁴. » Unde enim hoc facis ut videas, unde prospicis ut intelligas? nonne corde? Si corde hoc facis, Christiane, videsi sursum cor habeas. Si sursum cor habes de cœlo in terram

¹ Deut. xii, 3. — ² I Cor. i, 12. — ³ Ibid. 10. — ⁴ Philip. iii, 20.

prospicis. Et quia hoc dono Dei facis: « Deus de cœlo » prospicit super filios hominum. » Illa igitur quæstio pro modulo nostro sic soluta est.

VI. Quid est quod prospicientes agnoscimus? Quid est quod prospiciens Deus agnoscit? quid, quia hic donat, agnoscit? Audi quid: Quia « Omnes declinaverunt, simul » inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est » usque ad unum. » Quæ igitur illa alia quæstio est, nisi quam paulo ante commemoravi? Si « Non est qui faciat » bonum, non est usque ad unum, » nemo restat qui gemat inter malos. Expecta, inquit Dominus, noli cito ferre sententiam: donavi hominibus bene facere; sed ex me, inquit, non ex se: ex se enim mali sunt: filii hominum sunt, quando male faciunt; quando bene, filii mei. Hoc enim facit Deus, ex filiis hominum filios Dei: quia ex Filio Dei fecit filium hominis. Videte quæ sit illa participatio: promissa est nobis participatio Divinitatis: mentitur qui promisit, si non est prior factus particeps mortalitatis. Filius enim Dei particeps mortalitatis effectus est, ut mortalis homo fiat particeps Divinitatis. Qui tibi promisit communicandum tecum bonum suum, prius tecum communicavit malum tuum: qui tibi premisit Divinitatem, ostendit in te charitatem. Ergo tolle quod homines filii Dei sunt, remanet quod filii hominum sunt: « Non est » qui faciat bonum, non est usque ad unum. »

VII. « Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, » qui devorant populum meum in cibo panis¹? Nonne » scient? » nonne illis ostendetur? Dic, minare, loquere ex parturiente et dolente. Populus enim tuus devoratur in cibo panis. Est ergo hic populus Dei qui devoratur. Certe « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Respondetur ex illa regula. Sed iste populus qui devora-

¹ Psal. lii, 5.

tur, iste populus qui patitur malos, iste qui gemit et parturit inter malos, jam ex filiis hominum filii Dei facti sunt: ideo devoratur. Consilium enim inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est¹. Plerumque enim ut devoretur populus Dei, hoc ipsum in illo contemnitur, quia populus Dei est. Rapiam, inquit, et expoliam; si Christianus est, quid mihi facturus est? Loquitur pro illo, qui loquitur pro parturiente, et minatur devorantibus, dicens: « Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem? » Nam et ille qui videbat furem, et concurrebat cum eo, et cum adulteris portionem suam ponebat, sedens adversus fratrem suum, detrahebat, et adversus filium matris suae ponebat scandalum: « Dixit in corde suo: Non est Deus. » Ideo hoc illi dicitur: « Hæc fecisti, et tacui: suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis: » hoc est, non ero Deus, si ero tibi similis. Sed quid sequitur? « Arguam te, » et statuam te ante faciem tuam². » Sic et hic: « Arguam te, et statuam te ante faciem tuam. » Non vis modo nosse ut tibi displiceas, nesses ut plangas. Non enim non demonstraturus est Deus iniquis iniquitatem suam. Si non est demonstraturus, qui erunt qui dicturi sunt: « Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis³? Tunc ergo scient qui modo scire nolunt. » Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum in cibo panis? » Quid addidit, « In cibo panis? » Tanquam panem manducant populum meum. Cætera enim quæ manducamus, possumus modo illa, modo illa; non semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma: semper autem panem. Quid est ergo, « Devorant populum meum in cibo panis? Sine intermissione, sine cessatione devorant, » Qui devorant populum meum in cibo panis. »

¹ Psal. xiii, 6. — ² Id. xlix, 18-21. — ³ Sap. v, 8.

VIII. « Deum non invocaverunt¹. » Consolatur gementem, et maxime ex commemoratione, ne imitando malos qui plerumque prosperantur, delectet fieri malum. Servatur tibi quod tibi promissum est: spes illorum præsens est, tua futura est; sed illorum fluxa, tua certa; illorum falsa, tua vera. Illi enim « Deum non invocaverunt. » Nonne quotidie tales rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite, si possum hoc dicere adjuvante ipso Deo. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est, caste amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Qui ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat: hoc enim invocat quod ad se vult venire. Quid enim est invocare, nisi vocare in se? In se ergo vocare, hoc dicitur invocare. Nam cum dicis: Deus, da mihi divitias: non vis ut ipse Deus ad te veniat, sed vis ut divitiæ veniant ad te. Quod vis ut ad te veniat, hoc invocas. Si autem Deum invocares, ipse ad te veniret, ipse esset divitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam, et inanem conscientiam: Deus non implet arcam, sed pectus. Quid tibi prosunt exteriores divitiæ, si te interior premit egestas? Ergo isti qui propter sæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præsentem et terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum.

IX. Propterea quid de illis sequitur? « Ibi timuerunt » timore, ubi non erat timor². » Numquid enim timor est, si quis perdat divitias? Non est tibi timor, et ibi timetur. Si quis autem perdat sapientiam, vere timor est; et ibi non timetur. Audi, dignosce, tales intellige: Commendatur nescio cui sacellus, non vult reddere, pro suo computat, non putat posse repeti, jam pro suo habebit, reddere detrectat. Videat quid timeat amittere, et quid

¹ Psal. lii, 6. — ² Ibid.

nolit habere: in dubium veniunt pecunia et fides; quæ pretiosior est, ibi gravius damnum timendum est. Tu autem ut aurum teneas, fidem perdis: graviore damno percuteris, et tu de lucro lætatus es: ibi timuisti timore, ubi non erat timor: Redde pecuniam: parum dico, Redde; perde pecuniam, ne fidem perdas. Tu reddere pecuniam timuisti, et fidem perdere voluisti. Martyres non alienam tulerunt: sed etiam suam, fidem ne amitterent, contempserunt: et parum fuit perdere pecuniam, quando proscripsi sunt; perdidit et animam suam, quando passus est: perdidit animam, ut in vitam æternam inveni-erent eam¹. Ergo ibi timuerunt ubi timendum est. Illi vero qui Christum dixerunt: « Non est Deus, ibi timuerunt » ubi non erat timor. » Dixerunt enim: « Si dimiserimus » eum, venient Romani, et tollent nobis et locum et » regnum². » O stultitia et imprudentia, dicens in corde suo: Non est Deus! Timuisti perdere terram, perdidisti cælum: timuisti ne venirent Romani, et tollerent tibi locum et regnum; numquid tibi tollerent Deum? Quid ergo restat? quid, nisi ut fatearis, quia tenere voluisti, et tenendo male amisisti? Perdidisti enim et locum et gentem occidendo Christum. Maluistis enim Christum occidere, quam locum perdere; et perdidistis locum, et gentem, et Christum. Timendo occiderunt Christum: sed quare hoc? « Quoniam Deus dissipavit ossa hominibus placentium. » Volentes placere hominibus, timuerunt perdere locum. Christus autem ipse de quo dixerunt: Non est Deus, maluit displicere hominibus talibus, quales illi erant; filiis hominum, non filiis Dei maluit displicere. Inde dissipata sunt ossa eorum, illius ossa nemo confregit. « Confusi » sunt, quoniam Deus sprexit eos. » Revera, fratres, quantum ad illos attinet, magna illis accessit confusio. In

¹ Matth. x, 39 — ² Joan. xi, 48.

quo loco crucifixerunt Dominum, quem ideo crucifixerunt, ne perderent et locum et regnum, non ibi sunt Judæi. « Deus ergo sprexit eos: » et tamen spernendo admonuit illos ut convertantur. Modo cognoscant Christum, et dicant: Deus est; quem dixerunt: Non est Deus. Redeant ad hæreditatem paternam, ad hæreditatem Abrahæ, Isaac et Jacob, possideant cum ipsis vitam æternam, etsi vitam temporalem amiserunt. Quare hoc? Quia ex filiis hominum facti sunt filii Dei. Nam quandiu manent et nolunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: « Confusi sunt quoniam Deus sprexit eos. » Et tanquam ad ipsos conversus ait: « Quis dabit ex Sion salutare Israël? » O stulti, increpatis, insultatis, colaphizatis, sputis illinitis, spinis coronatis, in crucem erigitis: quem? « Quis dabit ex Sion salutare Israël? » Nonne ipse quem dixistis: Non est Deus? « In avertendo » Deus captivitatem populi sui¹. » Non enim avertit captivitatem populi sui, nisi qui voluit inter vestras manus esse captivus. Sed qui hoc intelligent? « Exultabit Jacob, » et lætabitur Israël. » Vere Jacob et vere Israël, minor ille cui servivit major², ipse exultabit, quia ipse cognoscet.

¹ Psal. lii, 7. — ² Gen. xxv, 33.